



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-58
SIGNAT. clvccccxiii.



47
EX FABRO FORTUNÆ
BACONICO
SECUNDARIA HOMINUM
NOTITIA,
EX RELATIONE ALIORUM
DESUMTA,

CHARACTERE DECLAMATORIO
PRÆFIGURATA,

MONSTRANTE

CHRISTOPHORO COLERO,
IN ELISABETANO HISTOR.
ET ELOQ. PROFESSORE.

Vratislaviæ,

Typis Baumannianis exprimebat Godofredus Gründerus
Anno M DC LI.



FABRI FORTUNÆ

BACONICI

LECTORI ET AUDITORI

S. D.

CHRISTOPH. COLERUS.

Dedicat.
ad Theod.
Levium.

l. 2. c. 14.

Dial. de
Sectis.



*Ellejus Paterculus, magno Lipsio iudice, scriptor
vetus, industrius, disertus; atque etiam fidus,
nisi qua Tiberii aspectus obstat, & cum res
tractat sui ævi, ubi declinavit, & neglexit, quæ
historiæ pes & caput est, Veritatem; de M. Li-
vio Druso hoc notabile proditum reliquit: Cùm
ædificaret domum, promitteretq; ei architectus, ita se eam ædificatu-
rum, ut libera à conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset, neq; quis-
quam in eam despicere posset: Tu vero, inquit, si quid in te artis est, ita
componere domum meam, ut, quicquid agam, ab omnibus perspicere possit.
Similis architectura, Vulcano auctore, vel potius naturâ
rerum creatrice, formati hominis undiquaque tecti & oc-
culti, à Luciano Deorum gentilium hominumque irrisore
proponitur: ubi ingenium animusque hominis tam abstru-
sus, & tot clathris sive claustris septus est, ut liber ab omni
conspectu, & immunis adeò ab omnibus arbitris videri pos-
sit. Ut verò in angulis & abditis recessibus multa facinora
ex fiducia latendi patrari solent, quæ tamen operta aliquan-
do dies & occasio aperiunt: ita quoque, licet abditi sint ho-
minum sensus, & si quid occultius parant, difficile inquisi-
tu, ac anceps, tamen diligenti indagine observari & depre-
hendi aliquatenus possunt. Hoc verò explorandi artificium
est Drusiana quasi domus, illustris & pellucida, cui Momi
fene-*

fenestra indita, per quam, quicquid agunt homines, ab omnibus perspiciatur: quam nos accuratam Aliorum Notitiam interpretamur. Cujus vim & efficaciam demonstraturi Politici principem eam Principum & Reip. moderatorum virtutem statuerunt, & seriò tenendam inculcarunt. Certè Martialis, plurimi fellis & mellis, salis & aceti Epigrammaticus, hoc artificium noscendi Populum Romanum, monstro Principum Domitiano adulatoriè adscribit, dum ita canit:

Quid tibi de sanctâ credis pietate Tuorum?

l. 8. ep. 15.

PRINCIPIS EST VIRTUS MAXIMA, NOSSE SUOS.

Ac in Libera adhuc Rep. Romana liberrimi sensus & oris M. Tullius verè censuit; *Caput Reip. est, perspectos habere civium mores.* Ac paulò post: *Ad Consilium de Rep. dandum, caput esse, Remp. nosse.* Ac Cato cordatissimus Romanorum apud illum eundem eloquentissimè Sapiensem pro incorruptâ animi libertate ita censuit: *Senatori necessarium est, nosse Remp. Idq; latè patet; quid habeat militum, quid valeat arario, quos socios Resp. habeat, quos amicos, quos stipendiarios, quâ quisq; sit lege, conditione, fœdere: tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla majorum.* Hanc scitam artis inquisitoriae rationem Chæronensis Sapiens, ac saluberrimus Optimi Principis Trajani præceptor & monitor, egregio simili illustrat: *Ut Musicus organa sua nosse debet; ita ei viro, qui in Rep. versatur, diligentia adhibenda est, ut sensus Principum ac Populi calleat.* Quàm autem varient ingenia, olim Rhodiorum Legatus ad Patres Romæ Conscriptos compositâ oratione explanavit, quando illos apud Patavinum scriptorem liberè ita affatus est: *Tàm civitatum, quàm singulorum hominum mores sunt: gentes quoq; aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in Venerem proniores aliæ sunt. Atheniensium populam fama est celerem & supra vires audacem esse ad conandum: Lacedæmoniorum Cunctatorem, & vix in ea quibus fidit ingredientem.* Non negaverim, & totam Asiæ regionem in aniora

l. 2. Orat.

lib. 3. de Legg.

Plutarch. in Reip. ger. Præcep.

Liv. l. 45. cap. 23.

parere ingenia, & nostrorum timidiorum sermonem esse, quod excellere inter finitimas civitates videamur: & id non tam viribus nostris, quam vestris honoribus ac judiciis. Ac Tacitus liberi iudicii & stili Scriptor, veterem Romanam Majorum cum sua no-
4. An. c. 33 vâ Rep. comparans, ac exactè discriminans, ita sensit: *Us olim plebe validâ, vel cum Patres pollerent, noscenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur: Senatusq; & Optimatum ingenia, qui maximè perdidicerant, callidi temporum & sapientes credebantur: sic converso statu, neq; alia rerum, quam si unus imperitet, hæc conquiri tradiq; in rem fuerit: quia pauci prudentiâ, honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt: plures aliorum eventis docentur. Hæc cura autem quantæ Romanis fuerit curæ, Sophista Aristides prædicat in Orat. De Româ: Jam Græcos quidem, inquit, tanquam nutritios curatis, & eos tum defenditis, tum quasi ipsos erigitis, partim præstantissimis ipsorum & principibus liberis dimissis, partim aliis moderatè summâq; cum parsimonia prudentiâq; gubernatis. Barbaros autem pro suo quoq; ingenio vel clementius, vel asperius regitis, prout hominum principes equorum magistris cedere non decet, verùm pro indole compertâ singulos gubernare. Sed ingenia moresq; gentium, civitatum, & Rerump. prolixius & accuratius non indagabo; cum id Aristoteles in Rhetoricis, Plutarchus passim in utilissimis monitis, ac alii veterum prudenter fecerunt: ac recentiorum nonnulli Scipio Amiratus, ac imprimis, Johannes Barclajus, qui iudicio Fabii Belgici nostri Voslii, ingeniosè & eleganter, de præcipuis gentibus in Icone Animorum disseruit, ac ego alibi in *Barclajanis meis Exercitationibus* abundè congesti: quæ, ne fastidium tibi, *Lector Benevole*, pariam, non recoquo. Quod de integris nationibus dictum, illud & de singulis hominibus intelligendum. Ac ut uno atque altero singulorum hominum exemplo rem clarius illustrem, Atticus Romanorum Panegyristes Plinius, hanc noscendi, ut universarum gentium, ita & singulorum mortalium naturas & mores, curam & diligentiam*

Disfert.
Polit. l. 4.
Disc. 7.

c. 3. & seqq.

tiam Principi suo Trajano cum iudicio integro tribuit;
quando ita ait: *Tribunus disjunctissimas terras, teneris adhuc an-* Pan. c. 15.
nis, viri firmitate lustrasti: jam tunc praeminente fortunâ, ut diu pe-
nitus perdisceres, quae mox precipere deberes. Neq; enim prospexisse
castra, brevemq; militiam quasi transisse contentus: ita egisti tribunum,
ut esse statim dux posses, nihilq; discendum haberes tempore docendi.
Cognovisti per stipendia decem mores, gentium, regionum situs, oppor-
tunitates locorum, & diversam aquarum caeliq; temperiem, ut patrios
fontes patriumq; sidus, ferre consuevisti. Et paulò post: Quotus-
quisq; cujus tu non ante commilito, quàm Imperator? Inde est, quod
propè omnes nomine appellas, quod singulorum fortia facta commemo-
ras. Geminum exemplum est Julii Agricolæ, Ducis providi Tac. Vit.
& circumspecti; qui, laudante ipsum Genero suo pruden- Agric. c. 5.
tissimo, prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paullino,
diligenti ac moderato Duci approbavit, ac ab illo eodem ideò electus,
quem contubernio aestimaret. Nec Agricola licenter more juvenum,
qui militiam in lasciviam vertunt, neq; segniter ad voluptates & com-
meatus, titulum tribunatus & inscitiam retulit: sed noscere provinciam,
nosci exercitui, discere à peritis, sequi optimos, nihil appetere jaçtatio-
ne, nihil ob formidinem recusare, simulq; anxius & intentus agere sole-
bat. Idem Gener, professione pietatis, sanctissimum suum o. 19.
Socerum porrò ex fide laudat, quod animorum provincia Britan-
nia prudens, ingenio Insulanorum suum accommodârit, ac
causas bellorum, ab injuriis aliorum illatis prius exorto-
rum, excindere statuerit. Ex hisce allatis monitis & Exem-
plis Politicis sole meridiano clariùs liquet, quanti Principi-
bus & Reip. rectoribus hæc Animorum Notitia conducat &
præstet! Absq; illâ enim, verò Lydio lapide, nemo Remp.
& suos rectè gubernabit. Nam ut imperitus & imprudens
Medicus ægrotum neminem curabit, cujus morbi affectum
causamque ignorat: ac ut gubernator navim vix à naufra-
gioliberabit, qui siderum, maris, ventorum tempestatum-
que ignarus: ita neque Reip. moderator eam reget gen-

A 3

tem,

lib. 5. de
de Legg.

tem, aut civitatem, cujus ignorantissimus est. Phoebeja itaque divini Platonis dictio est: *Non est majus, inquit, ullum civitati bonum, quam ut inter se noti sint. Nam ubi alius alium qualis sit non novit, sed inter se ignorant, neq; in tribuendis honoribus, neq; in magistratibus mandandis, neq; in justitiâ administrandâ, rectam quis viam insistet.* Quod verò hætenus exemplis nonnullarum gentium, & imprimis Principis Populi Romanorum, atque insuper singulorum quorundam Principum Virorum de Notitia Aliorum fusè disserui, illud etiam de ordinis mediis & imi hominibus experiri licebit, cui tantum otii indultum est. Id quod hætenus à nobis in diversis Diatribis tentatum & delibatum fuit: dum, facem nobis præferente altero Britanniarum Moro, Francisco Bacone, Notitiam Hominum per propria experimenta quinque modis elici & hauriri posse, nempe per vultus & ora ipsorum, per verba, per facta, per ingenia sua, per fines suos, monstravimus. Jam restat, ut in præsentiarum per aliena experimenta & documenta de Notitiâ illa secundaria, quæ ex aliorum significato & relatu desumitur, breviter aliquid proponamus; nominatim, *Defectus & Vicia hominum ab Inimicis: Virtutes & Facultates ab Amicis: mores & tempora à Famulis: Opiniones & Meditationes ab intimis Familiaribus, cum quibus frequentius Colloquia miscere solent, esse deprehendendas & pernoscendas.* Ubi summa totius argumenti eò collimabit & collineabit; nimirum Famam popularem esse levem & desultoriam & erroneam, atque affectûs plenam, judicii egenam: judicia etiam prudentiorum, ob similia impedimenta & obstacula à scopulo veri aberrantia, quia homines variis simulationum involucris obvoluti, coram ipsis tectiores & occultiores incedunt: contra veriore esse famam, quæ à domesticis emanat. Hoc sapiens placitum Iscanius etiam Sapiens cum judicio asserit: *Sicut gloriam, inquit, mercedem boni operis habere boni non debent: ita possunt comitem, & hic in terris, eo velut melle temperare, quod in virtute est amarum.* Dico glo-

Lips. Cæt.
sing. ad
Ital. & Hi-
span. ep. 51

gloriam, id est, testimonium bonorum. Nam vulgi famam & auram tantum, quis Sapiens captat? De Modis verò eliciendi Notitiam & Cognitionem hominum dabitur alia vice cum bono Deo occasio plenius & planius disfertandi. Nunc saltem voti damnâs, & promissi memor, Vitam Illustris gente & mente Viri, *Francisci Baconis*, picturâ loquenti compendiosè expressam, (quam mihi diu foris quæsitam, non ita pridem Belgico idiomate descriptam, elegantissimi ingenii, variæ eruditionis, & limati iudicii Vir, **MAGNUS HESEN-TALERUS**, Illustrissimæ Juventutis Württembergicæ antehac rector prudentissimus, communicavit; & Vir Senatorius, ac planè sui nominis verè **AULICUS** Latinè feliciter translata commodavit) exhibeo, quæ ita sonat. Magnum hoc sidus Londini in Anglia ortum est superioris seculi Anno LX. generosa prosapia & gente. Admodum adolescens indefesso studio in Juris disciplina id consecutus est, ut Advocatus & Patronus Causarum emerferit, atque more seculi & gentis suæ, in qua tituli illi & emblemata doctrinarum valent, Juris Doctor meritis suo declaratus, & proclamatus est. Hinc florentior paucorum annorum interjecto spatio, honoribus Academicis ornatus, ac privatis erga amicos & clientes defensos meritis probatus, à Serenissimo Rege Jacobo, Cancellarius Regni, & Magni Sigilli Custos, creatus est; ut in Supremo Regni Anglici Tribunali causas cognosceret, & controversias decideret, aut dirimeret. Quam provinciam tanta fide & dexteritate obiit, ut omniū oculos domi & foris, in primis ipsum Regem ipsasq; Curias, ac exterorum Regum & Principum Legatos & Oratores, præ admiratione in se converterit. Verum ut olim Aulæ Neronianæ Seneca, ita is Jacobinæ, ob magnitudinē virtutum invisus est factus: ac ut solem nebulae, ita quoq; incomparabilem ejus virtutem & fortunam livor & obrestatio invidorum & malevolorum obscurare tentarunt.

Nam

Præfat. in
Novum
Organum:

Nam iniquis auribus & animis quamplurimi percipiebant, eum communi doctorum & sapientum virorum elogio Phoenicem Britanniae, & Delphicum quendam vatem videri & esse. Quamquam immortalia coelestis hujus ingenii scripta publici juris facta, & acta ejusdem Curialia & Aulica eum beatum prædicent, quod tanquam felicissimus utrinque Auctor & Scriptor rerum, raro omnium temporum exemplo, exstiterit. Ea verò, quo erat ingenio igneo & volucris, inter media & fervida acta, varia uno & eodem tempore agens, elaboravit & publicavit; unde, quod negotia regni otio sapientiae & literarum dispungeret, apud Regem suum in quadam Præfatione ita se excusavit: *Poterit fortasse Majestas tua me furti accusare, quod tantum Temporis, quantum ad hac sufficiat, Negotiis tuis suffuratus sim, non habeo quod dicam. Temporis enim non fit restitutio, nisi forte quod detractum fuerit temporis Rebus tuis, id Memoria Nominis tui, & Honori Seculi tui reponi possit; si modò hæc alicujus sint precii.* Varia autem edita & inedita reliquit opera Insulanus hic Sapiens; adeò ut quidam vir magnus de eo judicavit, in ipso tantum divinæ & humanæ scientiæ & sapientiæ offendi, quantum in Semonem aliquem cadere possit. Manuscripta ineditorum pleraque, ab Actuario Anglicano Hagæ residente, in scriniis aservantur. Cæterum splendore vitæ, & cultu verè magnificus fuit, atque Regis ipsius in multis æmulus. Urbanam Londini vitam sæpe secesu S. Albani, ne quotidianus esset in oculis Regis & Procerum, temperavit, ut gratior deinde esset ipsius reditus. In secesibus autem illis, more Tullii, Plinii & aliorum, quæ ipse per negotia legere non poterat, aliis legenda in variis linguis prodita tradidit, ac ipse ex iis sensa & judicia excepit, eaque judicio suo ita expensa, ac nocturno tempore concepta, in diem promisit. De suâ & vicinis nationibus scitè ita sententiam tulit: nempe Belgas universim quidem sapientiores esse Anglis; sed sapientissimos Anglo-

glorum, Belgarum sapientissimos vincere: Gallos prudentiores esse, quàm videri: Hispanos verò prudentiores videri, quàm esse. Sed ut Aula plena periculi, ac lubrica est, ubi amicitia & fides omnis exulat: ita quoque Insulano huic Regio amico accidit. Nam in summo rerum culmine positus, malevolorum machinis & clandestinis obtrectationibus, Regi aliàs Optimo, & Optimatibus Regni invisus & exosus factus, munere Archigrammatei submotus fuit. Sed hunc casum fortè non inopinatum, (cum in regno illo à multorum temporum memoriâ multi eminentes, magni & clari viri, tragicum ejusmodi exitum habuerint) forti & æquo animo tulit, dicens: Nihil est novi; sæpe enim mecum reputavi antiqua exempla, Ciceronem ab Octaviano, Callisthenem ab Alexandro M. & Senecam à Nerone fuisse deturbatos aut oppresos; imò Ovidium, Lucanum & Statium, exilio, ferro, & dente Theonino labefactatos fuisse. Quemadmodum autem multos magnos viros, quos variæ ærumnæ preslere, necessitas difficultium temporum in apricum produxit, ac usus patriæ ex obscuro protraxit: ita quoque Sapiens Baco è lare privato in Curia lucē protractus est, cùm intricatior quidam casus, cui reliqui omnes Proceres extricando impares esse videbantur, in Consilio Patrum occurreret. Eo enim momento optimus arbiter ingeniorum Jacobus Rex palàm enunciavit: Si nobis adesset Cancellarius noster Baco, istæ tricæ non forent inextric-

B

tri-

tricabiles. Causam tamen hujus dilutæ gratiæ regiæ
fuisse, nimium cultus splendorem; quod Minister
ultrâ nomen & magnitudinem Principis sui aulus sit
se attolli. Ac licet Baco regio favore ob nimiam
magnificentiam exciderit, tamen nihil à pristino vi-
tæ splendore remisit, ut opinionem adversariorum &
obliquorum suorū irritam redderet, ipsum aliquando
egenum & obæratum moriturum. Ac licet pauper
esset, tamen videri nolebat, retentâ usque ad mor-
tem liberalitate & munificentia. Statua itaque si ei
ponenda fuisset, existimat Belgicus Vitæ Baconicæ
Descriptor, hoc Epigramma subscribendum fuisse:
**HIC EST ILLE BACO, STUDIIS MIRANDUS
ET ACTIS,**

**QUEM VIRTUS PRESSIT NOBILIS ABS-
QUE MODO.**

Illustre verò hoc Angliæ sidus, anno hujus seculi 26.
occidit, ac ætatis sexagesimo sexto.

Cæterum cum supra indigitatus Actus Orato-
rius habendus sit ad X. Kal. Aprilis, ipso THEO-
DORICI die Festo,

**QUEM CONSECRATUM VENERANDI
NOMINE GARTZII**

**VERIS AD INGRESSUM SÆPE RE-
DIRE PRECOR,**

à Vobis, VIRI MAGNI, DOCTI, BONI,
quibus hæc Juvenilia & Puerilia Exercitia oblecta-
mento sunt, acriter contendo, ut ad diem præstitutum
loco


loco & tempore matutino consuetis, in ELISA-
BETANO nostro, si per publicas privatasque occu-
pationes licebit, ad audiendum compareatis, & Ju-
ventuti nostræ Gymnasticæ, honorificâ vestrâ præ-
sentiâ & faventiâ, calcaria & stimulos ad majora eni-
tendi subdatis. Notum enim est illud Peligni vatis effi-
cax monitum;

l. 2. de
Ponto
eleg. II.

Acer & ad pamæ per se cursurus honores,

Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Sic alacer Adolefcens aut Puer, licet propria utatur ve-
locitate, tamen nihilominus adjuvat etiam, qui cur-
rentem hortatur. Valete P. P. IX. Kal. Aprileis. A. C.
elo loc LI.



ELENCHUS PERSONARUM ET MATERIARUM.

ADOLESCENTES DE- CLAMABUNT

1. Melchior Tileſius Hirſchberg.
De Curioſitate utili.
2. Zacharias Rampuſch Vratiſl.
Defectus & Vitia hominum
diſcenda ab Inimicis.
3. Chriſtoph. Wolfius, Schmide-
berg. Virtutes & facultates ho-
minum ab eorum Amicis co-
gnoſcendas.
4. Georgius Stolcerus, Haino-
vienſ. Mores & tempora à Fa-
mulis reſciſcenda.
5. Valentinus Seidelius, Olsnenſ.
Opiniones & Meditationes
ab intimis Familiaribus.
6. Chriſtian. Hofmannus Greif-
fenberg. Famam popularem
eſſe levem.
7. David Didymus Lignicenſ.
Superiorum judicia minùs
certa.

PUERI

- | | |
|---|--|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. SAMUEL SCHAF Prologi. 2. HENRICUS à SOLGAW
Epilogi. Personas ſuſtinebunt. 3. Godofridus Guſchke. Tetracti-
cha 50. 4. Matthias Riedel. 5. Samuel Albertus. 6. Leonhardus Pfaffen-
dorff. 7. Johan. Pomarius. 8. Chriſtianus Springer. 9. Godofr. Cretſchmar. 10. Johan. Liſchke. 11. Gotfrid Wotke. 12. Jeremias Thaum-
ſius. | <p>V. A. VI-
DI PI-
BRACII
à Mart.
Opitio
Germa-
nicè ver-
ſa per
vices re-
citabunt</p> |
|---|--|



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287




Sb,

VD17
Sep. 2000 Pd.







Farbkarte #13

B.I.G.

77

ORTUNÆ
ICO
HOMINUM

LA,
ALIORUM
A,

CLAMATORIO

ITA,
NTE

COLERO,

HISTOR,
ESSORE.

æ,
Godofredus Gründerus
LI.

